MISSALE DIOECESIS SALISBURGENSIS

Salzburg (?), Ende 15. Jh. Seite 18r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=979
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

coll' dicenda est. In natalis sancti Stephani prothomartiris. Introitus

Etenim sederunt principes et adversum me loquebantur et iniqui persecuti sunt me adiuva me domine deus meus quia servus tuus exercebatur in tuis iustificationibus. Ps. Beati immaculati in via qui ambulant in

Da nobis quesumus Or. lege domine domine imitari quod colimus ut discamus et inimicos diligere. quia eius natalicia celebramus. qui novit etiam pro persecutoribus exorare. Dominum nostrum.

In diebus illis. Lectio actuum apostolorum.

Stephanus plenus gratia et fortitudine. faciebat prodigia et signa magna in populo. Surrexerunt autem quidam de synagoga que appellabatur libertinorum. et cyrenensium. et alexandrinorum et eorum qui erant a cilicia et asia disputantes cum stephano. et non poterant resistere sapientie et spiritui qui loquebatur. Audientes autem hec dissecabantur cordibus suis. et stridebant dentibus in eum. Cum autem esset stephanus plenus spiritu sancto intendens in celum vidit gloriam dei. et ihesum stantem a dextris. et ait. Ecce video celos apertos. et filium hominis stantem a dextris virtutis dei. Exclamantes autem voce magna continuerunt aures suas. et impetum fecerunt unanimiter in eum. Et eicientes eum extra civitatem lapidabant. Et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis qui vocabatur saulus. Et lapidabant stephanum invocantem et dicentem. Domine ihesu suscipe spiritum meum. Positis autem genibus clamabat voce magna dicens. Domine ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset obdormivit in domino.

Gr. Sederunt principes et adversum me loquebantur et iniqui persecuti sunt me. V. Adiuva me domine deus meus salvum me fac propter misericordiam tuam. Alleluia. V. Video celos apertos et ihesum stantem a dextris virtutis dei.

Sequentia

Hanc concordi famulatu colamus sollempnitatem. Auctoris illius exemplo docti benigno. Pro persecutorum precantis fraude suorum. O stephane signifer regis summe boni nos exaudi. Proficue qui es pro tuis exauditus inimicis. Paulus tuis precibus stephane te quondam persecutus christo credit. Et tecum tripudiat in regno quo nullus persecutor appropinquat. Nos proinde nos supplices ad te clamantes et precibus te pulsantes. Oratio sollicita nos tua semper conciliet deo nostro. Te petrus christi ministrum statuit. Tu petro normam credendi astruis. Ad dexteram summi patris ostendendo quem plebs furens crucifixit. Te sibi christe elegit stephanum, Per quem fideles